

expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut quum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Idem inculcat subdendo: *Beati servi illi, quos, quum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Convivii hujus descriptio Cælestem sine dubitatione Felicitatem designat, hoc est ineffabile illud præmium, quod ipse Justis donaturus est, quos paratos, sive virtutibus ac bonis operibus ornatos, atque a vitiis & peccatis alienos in morte inveniet. Neque enim hæc de supremo Judicii universalis die intelligenda sunt. Ad Apostolos loquitur divinus Præceptor, eosque vigilare jubet. Certe illi vitam producturi non erant usque ad finem Mundi. Tum ad *omnes* Parabolam & monitum extendit, ne quemquam imparatum mors offendant, atque ut quo tempore Christus ipse adveniet, occultam Judicium de morientium operibus facturus, quilibet Fidelium vigilans deprehendatur. Hoc etiam clarius expressum videas apud Marc. xiii. 33. ubi Dominus ait: *Vigilate ergo; ne quum homo venerit, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Sententiam vero præmium statim subsequetur.

Innuitur hoc in prælaudatis verbis, dum Apostolos alloquitur, eisque mansiones in domo Patris, hoc est in æterna Beatitudine, pollicetur. *Si abiero, inquit, & preparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, quum nempe e corporeo carcere Anima vestra evolabit, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Non ait *Sero*, eoque minus post duo, aut tria, aut plura Annorum Millia Veniam ad vos; sed *Brevi*, quum scilicet e Mundo & vos abieritis, ut in domo Patris mei mecum semper sitis. Reminiscere, hæc dici a Christo solandi causa Discipulos, quorum cor turbatum agnoverat, quod eis dixisset: *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Non aliud ergo solatium adhibitum ad removendum ex eorum cordibus mœrorem ac turbationem, excogitare possumus, nisi celerem Redemptoris ipsius Reditum, qui illorum Animas exciperet hinc abeuntis, atque in æterna gaudia inveheret, illic, ubi Christus foret, futuras & ipsas in perpetuum. Propterea infra addit: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Cur, quæso, timorem & angorem deposituri sunt? *Quin, repetit, Vado, & Venio ad vos.* Chrylost. quoque teste Hom. 72. in Joh. quum Jesus dixisset: *Non potestis me Modo sequi; ne arbitrarentur diuturniorem moram futuram, sive ne putarent, usque ad finem Mundi, eis tunc, cum esse moraturum, addidit: Ut ubi sum ego & vos sitis.* Et numquid amantissimas Pater Deus morem nondum gessit unigenito Filio suo, hisce verbis tunc ipsum alloquenti? *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint MECUM, ut videant Claritatem meam, quam dedisti mihi,* Joh. xvii. 24. Impie aut Christum Dominum, aut Evangelistam mendacii insinuet, quicumque nondum completam voluntatem & promissionem Christi affirmare non erubescat.